



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. VIII. De familiari amicitia lesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

80 DE IMITATIONE  
quærit, quàm totus mundus, & om-  
nes sui aduersarij.

CAP. VIII.

*De familiari amicitia IESU.*

**I** Q V A N D O Iesus adest, totum  
bonum est, nec quidquam dif-  
ficile videtur. Quando verò Iesus non  
adest, totum durum est. Quando Iesus  
intus non loquitur, consolatio vilis  
est. Si autem Iesus, vnum tantum ver-  
bum loquitur, magna consolatio fen-  
titur. Nonne Maria Magdalena, sta-  
tim surrexit de loco, in quo fleuit,  
quando Martha illi dixit: Magister  
adest, & vocat te? Felix hora, quando  
Iesus vocat de lachrymis ad gaudium  
spiritus. Quàm aridus & durus es sine  
Iesu. Quàm insipiens & vanus, si cu-  
pis aliquid extra Iesum. Nonne hoc  
est maius damnum, quàm si totum  
perderes mundum?

**2** Quid potest tibi mundus confer-  
re, sine Iesu? Esse sine Iesu, grauis est  
infernus: & esse cum Iesu, dulcis pa-  
radisus. Si fuerit tecum Iesus, nullus  
poterit nocere inimicus. Qui inuenit  
Iesum,

*Ioã. 11.*

*Mat. 16*

*Rom. 8.*

*Mat. 13*

Iesum, inuenit thesaurum bonum, immò bonum super omne bonum. Et qui perdit Iesum, perdit nimis multum, & plus quàm totum mundum. *Luc. 12.* Pauperrimus est, qui viuit sine Iesu: & ditissimus, qui benè est cum Iesu.

3 Magna ars est, scire cum Iesu conuersari; & scire Iesum tenere, magna prudentia. Eito humilis & pacificus, *Prov. 3.* & erit tecum Iesus. Sis deuotus & quietus, & manebit tecum Iesus. Potes citò fugare Iesum, & gratiam eius perdere, si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaueris & perdideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres amicum? Sine amico, non potes benè viuere: & si Iesus, non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Fatuè igitur agis, *Gal. 6.* si in aliquo altero confidis, aut letaris. Eligendum est magis, totum mundum habere cōtrarium, quàm Iesum offensum. Ex omnibus ergo charis, sit Iesus solus dilectus specialis.

4 Diligantur omnes propter Iesum, Iesus autem propter seipsum. Solus Iesus Christus, singulariter est amandus: qui solus bonus & fidelis, præ

*Mat. 5.* omnibus inuenitur amicis. Propter  
*Luc. 5.* ipsum, & in ipso, tam amici quàm ini-  
 mici, tibi sint chari: & pro omnibus  
 his exorandus est, vt omnes ipsum  
 cognoscant & diligant. Numquam  
 cupias singulariter laudari vel amari,  
 quia hoc solius Dei est, qui similem  
 sibi non habet; Nec velis, quod ali-  
 quis tecum in corde suo occupetur;  
 neque tu cum alicuius occuperis amo-  
 re: sed sit Iesus in te, & in omni bono  
 homine.

§ Esto purus & liber ab intus, sine  
 alicuius creaturę implicamēto. Opor-  
 tet te esse nudum, & purum cor ad  
 Deum gerere: si vis vacare & videre,  
 quàm suavis sit Dominus. Et reuerà  
 ad hoc non peruenies, nisi gratia eius  
 fueris præuentus & intractus: vt om-  
 nibus euacuatis & licentiatis, solus  
 cum solo vniaris. Quando enim gra-  
 tia Dei venit ad hominem, tunc po-  
 tens fit ad omnia. Et quando recedit,  
 tunc pauper & infirmus erit, & quasi  
 tantum ad flagella relictus. In his non  
 debet deiici, nec desperare; sed ad  
 voluntatem Dei æquanimiter stare,  
 & cuncta superuenientia sibi, ad lau-  
 dem

dem Iesu Christi perpeti : quia post  
hiemem sequitur æstas ; post noctem  
redit dies ; & post tempestatem magna  
serenitas.

## CAP. IX.

*De carentia omnis solatiij.*

**N**ON est graue , humanum con-  
temnere solatium , cùm adest  
diuinum . Magnum est , & valdè ma-  
gnum tam humano quàm diuino pos-  
se carere solatio : & pro honore Dei, *Phil. 2.*  
libenter exilium cordis velle sustine-  
re : & in nullo seipsum quærere , nec ad  
proprium meritum respicere . Quid  
magni est , si hilaris sis & deuotus ,  
adueniente gratia ? optabilis cunctis  
hæc hora . Satis suauiter equitat ,  
quem gratia Dei portat . Et quid mi-  
rum , si onus non sentit : qui portatur  
ab omnipotente , & ducitur à summo  
ductore ?

2 Libenter habemus aliquid pro so-  
latio , & difficulter homo exiit à se-  
ipso . Vicit sanctus martyr Laurentius  
sæculum , cum suo sacerdote : quia  
omne , quod in mundo delectabile